

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Penitencia t cum fonte primo

Nichil peccare solius est Dei emendare sapientis et corrigere erratum et penitenciam agere peccati. Id tamen difficile est in hac uita homini. Quid enim tam rarum quam ut inuenias uirum qui se ipsum coarguat et factum condempnet suum? Rara itaque confessio de peccato, rara penitencia, rara in hominibus uerbi huius assertio. Repugnat enim natura, repugnat uerecundia, natura quia omnes sub peccato qui carnem gerit culpe obnoxius est. Ergo repugnat natura carnis et illecebra seculi innocencie integritatique. Repugnat eciam uerecundia quia erubescit unusquisque propriam culpam fateri, dum presencia magis quam futura cogitat.

Ambrosius epistola III. ad Simplicianum.

Nihil peccare solius est dei, emendare sapientis est et corrigere erratum et paenitentiam gerere peccati. Id tamen est difficile in hac uita hominum. Quid enim tam rarum, quam ut inuenias uirum, qui se ipsum coarguat et factum condempnet suum? Rara itaque confessio de peccato, rara paenitentia, rara in hominibus uerbi eius adsertio. Repugnat enim natura, repugnat uerecundia, natura, quia omnes sub peccato (Rom. 3:9), et qui carnem gerit, culpe obnoxius est. Ergo repugnat natura carnis et illecebra saeculi innocentiae integritatique. Repugnat etiam uerecundia, quia erubescit unusquisque propriam culpam fateri, dum praesentia magis quam futura cogitat.

Ambrosius Mediolanensis, *Epistolae*, 1, 3, 4 (CSEL 82.1, M. Zelzer ed., pp.20-1, ll.32-43).